

A AD DEMETRIADEM VIRGINEM.

Ex Hieronymo Pauze
Epistola prima.



Summo ingenio, parique fretus scientia, officium scribendi facile me implere posse crederem: tamen tam arduum hoc opus ingredi sine magno difficultatis timore non possem. Scribendum tamen est ad Demetriadem, uirginem Christi, uirginem nobilem, uirginem diuitem, &, quod his maius est, ardore fidei nobilitatem diuitiasque calcantem: quam utique pro tam insigni admiratione uirtutis ut laudare omnibus facile, ita docere difficile est. Cui enim oratio deesse possit in eius laude celebranda, quæ summo loco nata, in summis opibus deliciisque nutrita, tantis tam-

que uariis huius uitæ blandimentis, uelut tenacissimis quibusdam irretita uinculis, subito eruperit, cunctaque simul corporis bona, animi uirtute mutauerit? Quæ florem adhuc ipsam incuntes ætatis quodam fidei gladio, id est, uoluntate succiderit? & crucifigens cū Christo carnem suam, uiuam sanctamque hostiam sacrauerit Deo, ac nobilissimi sanguinis posteritatem, uirginitatis amore contempserit? Prona autem & facilis dicendi uia est, quæ ipsa ubertate materiam cursum orationis accendit: sed nobis alio magis itinere pergendum est, quibus propositum est institutionem uirginis, non laudem, scribere: nec tam paratas iam uirtutes eius exprimere, quàm parandas, magisque reliquam ordinare uitam, quàm ornare præteritam. Est autem difficillimum cum eius persona facere, in qua cupiditas tanta descendit, tantusque perfectionis ardor, ut ei quamlibet perfecta doctrina par esse uix possit. Meminit enim, recteque meminit, quas mundi opes gloriamque respuerit, quibus uoluptatibus renunciauerit, quas denique contempserit uitæ præsentis illecebras.

Et ideo contenta non est communi hoc mediocrique genere uiuendi, & quod facile ipsa multorum societate uilescat. Nouum aliquid & inusitatum requirit, præcipuum ac singulare quoddam flagrat: non minus conuersationem suam quàm conuersionem cupit esse mirabilem. In seculo nobilis, apud Deum cupit esse nobilior. Tam pretiosa requirit in moribus, quàm contempsit in rebus. Hunc itaque tam deuotæ mentis ardorem, hanc tantæ perfectionis sitim, quod unquam satiabit flumen ingenii? Quæ uis aliquando orationis, quæ copia tantum uerbis exprimere poterit, quantum parata est uirgo rebus implere? Nobis uero donanda est uenia, qui ad ornandum domini tabernaculum secundum uires nostras munus offerimus. Nec ueremur ne temere scribendo ad tantæ nobilitatis uirginem, uitro nos moribus tradamus inuidiæ. Scribimus enim petente sancta matre eius, immo iubente, idque a nobis transmarinis literis, miro cum desiderio animi flagitante: quæ facile ostendit quo studio, quantaque cura in filia germen cæleste plantaauerit, dum illud tam sollicitè cupit ab aliis irrigari. Remoti igitur a temeritate, & ab ambitione liberi, proposito insudemus operi. Nec de mediocritate diffidimus ingenii, quod credimus & fide matris, & merito uirginis adiuuari. Quoties mihi de institutione morum, & sanctæ uitæ conuersatione dicendum est, soleo prius humanæ naturæ uim qualitatemque monstrare, & quid efficere possit ostendere: ac iam inde audientis animum ad species incitare uirtutum, ne nihil proficit ad ea uocari, quæ forte sibi impossibilia esse præsumpserit. Nequaquã enim uirtutum uiam ualemus ingredi, nisi spe ducamur comite. Si quidem appetendum omnis conatus perit consequendi desperatione. Quæ ego exhortationis ordinem, cū in aliis quoque opusculis tenuerim, tum hic maxime obseruandum puto: ubi eò plenius naturæ bonū declarari debet, quò instituenda est uita perfectior, ne tanto remissior sit ad uirtutem animus ac tardior, quanto minus se posse credat: & dum quod inesse sibi ignorat, id se existimare non habere. Proferenda semper in notitiam ea res est, cuius usus desideratur: & explicandum est quicquid bonum natura potest, cum quicquid posse probatur, implendum est. Hæc igitur prima sanctæ ac spiritualis uitæ fundamenta iaciantur, ut uires suas uirgo agnoscat, quas demum bene exercere poterit, cum eas se habere didicerit. Optima enim animi incitamenta